

alibi. Quia nunc non agimus de obligatione fidei vel charitatis, sed præcepti baptismi, quod in eo casu non habet proprie locum respectu infantium. Secundo igitur, si baptizandus sit adultus et in mortis articulo per se constitutus, etiam sine extrinseca vi, tenetur non omittere baptismum, etiamsi tyrannus minetur mortem statim inferendam seu accelerandam. Probat, quia hoc præceptum est juris divini et de re gravissima et maxime necessaria ad salutem; non ergo est præmittendum absque gravissima et evidenti causa. Tunc autem nulla est sufficiens, quia licet tyrannus minetur mortem, tamen cum jam supponatur homo in probabili periculo mortis, illud augmentum vel certitudo seu acceleratio mortis non est tanti momenti, ut propter eam sit res tam necessaria omittenda, præsertim, quia licet adultus possit per contritionem salvari, ea tamen res est valde difficilis et incerta. At vero, si seclusa extrinseca vi, homo non est in mortis periculo, et alioqui nec debilitatur fides, nec creatur infamia religioni christianæ, potest sine peccato differri baptismus, donec vel major instet necessitas, vel melior sese offerat baptismi opportunitas, quia jam illa non est absoluta omissio, sed sola dilatio, ad quam satis rationabilis causa tunc occurrit. Secus vero erit, si causa fidei et religionis aliud requirit, ut si juxta circumstantias occurrentes censeatur esse obligatio confitendi fidem suscipiendo baptismum, etiamsi necesse sit ob eam causam sustinere martyrium.

6. Alia, quæ hic desiderari possent de obligationibus pertinentibus ad modum suscipiendi baptismum, supra tractata sunt, cum de dispositione ad baptismum necessaria ageremus, et in materia de sacramentis in genere nonnulla dicta sunt. De obligatione autem suscipiendi baptismum ab hoc vel illo ministro, præter ea, quæ de sacramentis in genere dicta sunt, quod addendum occurrerit, in sequentibus sectionibus dicetur.

SECTIO IV.

Quis possit licite vel teneatur sacramentum baptismi ministrare.

4. *Parochi ex præcepto tenentur baptizare.* — Postquam dictum est de præceptis et obligationibus, ad baptizandos pertinentibus, dicendum sequitur de iis, quæ ad ministros spectant; inter quæ primum locum habent

præcepta, quæ absolute cadunt in actum baptizandi; postea vero alia, quæ ad modum pertinent. Primum igitur caput duas quæstiones complectitur: una est, an aliquibus datum sit præceptum baptizandi, et quas personas, et quando obliget hoc præceptum. Sed non est, quod circa hujusmodi quæstionem immoremur. Nam, quod hujusmodi præceptum sit a Christo Domino datum et pastoribus Ecclesiæ impositum, satis expressum est, Matth. ult.: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; et comprehenditur sub illis verbis dictis Petro, Joan. 20: *Pasce oves meas*, scilicet verbo et sacramentorum administratione, quam successores Petri curare debent, et providere per se vel per ministros et coadjutores suos, cum quibus potestatem et jurisdictionem suam communicant. Itaque obligat hoc præceptum animarum pastores, per se loquendo et ex officio; ex charitate vero etiam alii obligari possunt ad hoc beneficium conferendum in necessitatis articulo. De qua re videnda sunt, et ad præsentem materiam applicanda, quæ de sacramentis in genere supra diximus; nihil enim aliud hic addendum occurrit.

2. *Pastoribus animarum solum per se licet baptizare.* — *Objectio.* — *Solutio.* — *Quis licite possit baptizare infideles in locis ipsorum.* — Altera quæstio est quis habeat jus baptizandi, seu quis possit licite hoc ministerium exercere. In qua loqui possumus vel simpliciter de baptismo etiam privatim collato, vel specialiter de baptismo solemniter cum omnibus ecclesiasticis caeremoniis perfecto. Dico ergo primo, solos pastores animarum habere jus baptizandi; atque adeo illis solis per se licere hoc ministerium exercere, vel aliis ex commissione eorum. Dico autem, per se, ut excludam casum necessitatis, de quo postea. Conclusio est certa ex dictis supra de sacramentis in genere; nam eadem est ratio de hoc sacramento et de cæteris, quia alieni muneris usurpatio, peccatum est; sed pascere animas est proprium munus pastorum, quod, ut dixi, maxime fit verbo et sacramentis; ergo usurpare hoc munus sine necessitate, est jus alienum invadere; quod illicitum est. Quæ ratio sumpta est ex Augustin., lib. 2 contra epist. Parmen., cap. 43, ubi specialiter loquitur de hoc sacramento. Videtur tamen ibi docere, omnibus sacerdotibus in sua ordinatione datum esse jus baptizandi; sed intelligendum est, non quoad potestatem jurisdictionis, nec simpliciter, sed quoad potestatem

ordinis, et comparatione facta ad laicos, ut statim explicabimus; laici enim, per se loquendo et seclusa necessitate, nunquam possunt habere hoc jus, sed est proprium sacerdotum, et hoc modo dicitur illis dari quasi in radice in ordinatione sua; atque ita hæc doctrina est communis Theologorum, cum D. Thom. supra, quæst. 67, art. 2 et 3, et aliis in 4, dist. 3; Sol., dist. 4, art. 3, ubi alios refert. Sed dices: homo antequam baptismum suscipiat, non est de jurisdictione Ecclesiæ, ut supra dicebamus; ergo nullum habet pastorem; ergo a quolibet saltem sacerdote potest baptizari, quia respectu illius non est major ratio de uno, quam de alio. Et confirmatur, nam ipse baptizandus potest licite petere baptismum a quocumque sacerdote voluerit; ergo etiam sacerdos potest licite dare, quia si uni non liceret dare, neque alteri liceret petere. Respondetur imprimis, in infantibus filiis christianorum non procedere argumentum factum, quia mediis parentibus habent proprios designatos pastores. Ad eos enim pertinet jus baptizandi infantes, qui sunt proprii pastores suorum parentum; quapropter in his non solum ex parte baptizantis erit peccatum, alienum jus usurpare; sed etiam ex parte eorum, qui infantem ad baptismum offerunt seu ejus curam gerunt, erit peccatum ab altero, quam a proprio pastore, vel de ejus licentia baptismum postulare vel accipere, quia etiam illud esset contra jus proprii pastoris; præterquam quod etiam esset cooperatio vel inductio ad malum. At vero de aliis infidelibus, qui de novo ad fidem veniunt, videtur esse major difficultas propter rationem factam; et ideo existimare quis potest sufficere voluntatem hominis infidelis offerentis se vel filium suum infantem ad baptismum, ut a quolibet saltem sacerdote baptizari licite possit; re tamen vera non ita est. Nam si infidelis baptizandus sit intra terminos Ecclesiæ Catholice, in qua sunt Episcopus vel parochia distributa, tunc ad Episcopum, vel parochum illius loci spectabit, hujusmodi hominem ad baptismum admittere, quia ipsi habent jus proprium dispensandi sacramenta in illis locis, et quia ita necessarium est, ut res ordinate fiant et sine confusione. Si vero aliqui denuo sint baptizandi in locis infidelium, ubi ad fidem convertuntur, per se loquendo et seclusa necessitate, oportet ut qui eos ad baptismum admittit, missus sit a pastoribus Ecclesiæ, et habeat hoc jus admittendi ad Ecclesiam commissum a supremo

pastore illius, Christi Vicario, proxime vel mediate, quia, sicut excludere, ita et admittere ad Ecclesiam, pertinet ad caput et gubernatorem ejus; sic ergo respectu cujuscumque est necessarium jus baptizandi, ut licite fiat. Unde fit etiam infidelem, qui convertitur, solum posse licite baptismum petere ab eo, qui habet jus dandi, propter rationem supra factam; hæc autem obligatio non oritur ex speciali præcepto ecclesiastico infideli imposito; hoc enim nullum esse potest, ut supra dixi; sed oritur ex ipsa natura rei, quia unusquisque tenetur, unamquamque actionem postulare ab eo, qui licite præstare potest.

3. *Nullam censuram incurrit, qui usurpat jurisdictionem in conferendo hoc sacramento.* — Sed quæres, an illicite ministrans baptismum, invertendo hunc ordinem et usurpando alienum jus, aliquam censuram seu ecclesiasticam poenam propterea incurrat. Respondetur, præcise ex hoc capite nullam incurrere, quia nulla est in jure imposita; imo neque de hac re invenitur ecclesiastica lex positiva generaliter hoc prohibens, quamvis nonnulla specialia decreta reperiantur; in cap. enim Placuit, 2, 16, quæst. 1, prohibentur Monachi baptismum dare; tamen illa lex non comprehendit omnes sacerdotes simplices sæculares; solum ergo ipso jure naturæ est hoc illis prohibitum, quia per se malum est, jus alienum usurpare. Imo, neque illa speciali prohibitione ecclesiastica Monachis facta, adhibita est aliqua specialis poena vel censura; sed solum videtur eis specialiter expressa illa prohibitio, propter aliquem excessum vel specialem necessitatem tunc occurrentem.

4. Dices, in Clementina prima, de Privilegiis, imponi excommunicationis censuram religionis ministrantibus sacramenta sine licentia pastorum. Respondetur, non esse ibi sermonem generaliter de sacramentis, sed solum de extrema unctione, Eucharistia et solemnitate matrimonii, et quibusdam aliis casibus ibi expressis, extra quos non est illa excommunicatio extendenda, tum quia poenæ et odia potius coarctanda sunt; tum etiam quia argumentum a simili in poenarum impositione nullius momenti est; cum ergo ibi nulla fiat mentio de baptismo, non est ad illum extendenda illa censura. Maxime, quia cum sit sacramentum necessitatis, potuit in eo esse specialis ratio, ut non tanto rigore prohiberetur; sicut neque de sacramento poenitentiae quicquam ibi dictum est, forte quia specialem jurisdictionem requirit. Dixi autem, præcise

ex hoc capite usurpatæ jurisdictionis, non incurri aliquam ecclesiasticam pœnam, quia aliunde, scilicet ex administratione sacramenti absque ordine necessario ad talem administrandi modum, aliud dicendum erit, ut statim annotabo.

5. *Quis possit esse minister baptismi in casu necessitatis.* — Dico secundo: in casu necessitatis potest licite baptismum dare, etiam is, qui non est pastor animarum, sive sit sacerdos, sive laicus, dummodo servetur debitus ordo, seu ratio veræ necessitatis habeatur. Prior pars conclusionis est certa, satisque constat ex dictis supra, quæst. 67, ubi ostendimus, in casu necessitatis quemlibet posse esse ministrum hujus sacramenti; superflue enim esset hæc potestas data, nisi usus ejus aliquando posset esse licitus; quod si aliquando licet, maxime in casu necessitatis. Posterior autem pars posita est ad explicandum hunc casum necessitatis; potest enim, qui baptizandus est, esse in necessitate baptismi, nimirum, quia est in periculo vitæ, et nihilominus, quod possit illum recipere a proprio sacerdote seu pastore, qui vel præsens adest, vel facile potest ad illud munus vocari; et tunc non est sufficiens necessitas, ut alius possit sese ingerere ad baptismum dandum, quia revera ministerium illius non est necessarium; oportet ergo, ut utrumque concurrat, scilicet, et extrema necessitas ex parte baptizandi, et necessitas etiam ex parte ejus, qui ministraturus est sacramentum, scilicet, ut non sit alius qui possit illud conferre et ad quem aliquo titulo magis spectet ministerium tale. Et hoc sensu dixi servandum esse debitum ordinem; nam si adsit sacerdos, non erit conveniens minister diaconus, nec in præsentia diaconi, inferior clericus, nec in præsentia clerici, laicus, neque in præsentia viri, fœmina, si cætera sint paria. Ratio omnium est, quia hæc licentia solum conceditur ob veram necessitatem; vera autem necessitas non concurrens, nisi ex utroque capite supra posito, scilicet, ex penuria ministri et periculo hominis baptizandi; ergo ubi hæc duo non concurrunt, non est vera necessitas; ergo nec facultas licite baptizandi.

6. *Peccat graviter simplex sacerdos baptizans invito proprio parochi.* — Sed quæres primo, an inversio hujus ordinis sit grave peccatum; videtur enim non esse, quia, cum baptismus tunc privatim detur, non oportet accidentalem solemnitatem adjungere; sed quod minister sit sacerdos, vel laicus, solum

spectat ad quandam solemnitatem accidentalem; ergo hoc omittere, vel immutare, vel nullum peccatum est, vel certe non grave. Confirmatur, quia non videtur gravis irreverentia sacramenti; neque etiam alicui in hoc fit gravis injuria. Respondetur, hic posse fieri multiplicem comparationem, quia non omnes possunt una et eadem regula definiri. Primo ergo, si comparemus sacerdotem simplicem ad proprium, seu pastorem ejus, qui baptizandus est, censeo esse grave peccatum, illo invito usurpare munus illius, propter rationes factas in 4 conclus. Nam extrema necessitas subditi baptizandi non tollit alteri proprium jus; nec dat licentiam invertendi debitum ordinem justitiæ. Quod evidentius est necessarium, quando baptizandus est adultus, quem oportet convenienter esse dispositum ad baptismum, etiam si in necessitate constitutus sit; ejus autem voluntatem examinare et probare pertinet ad pastorem; per se etiam loquendo idem est de baptismo infantium. Nam si parochus adsit, et velit illum baptizare, nullus sacerdos potest, illo invito, usurpare hoc ministerium; hoc autem non tam est propter reverentiam, vel solemnitatem sacramenti, quam propter servandum unicuique jus suum; et ideo, si proprius sacerdos velit cedere juri suo, licite poterit sacerdos simplex id præstare, quia jam nulli facit injuriam, et quia alius potest hoc ministerium alteri committere, et potestatem suam delegare. Et hæc fortasse de causa, infantes filii Christianorum, quando in periculo mortis existunt, facile a quolibet simplici sacerdote baptizantur, neque est tanta sollicitudo vocandi parochum, quia ex usu videtur haberi quædam interpretativa voluntas et consensus illius, eo quod in eo casu sufficienter exercetur hoc ministerium a quolibet sacerdote, cum privatim sit dandum sacramentum, et sine solemnitate publica, et alioqui ministerium sit facile, et nullum requirat examen vel iudicium, vel dispositionem baptizandi, sed solius necessitatis.

7. *Peccat graviter laicus baptizans in præsentia sacerdotis.* — Secundo graviter peccaret laicus, qui baptizaret in præsentia sacerdotis. Imo existimo, in hujusmodi necessitate, quamvis non adsit sacerdos, si tamen facile vocari potest sine ullo morali periculo, ita omnino faciendum esse. Ita sumi potest ex August., D. Thom., et aliis theologis nuper citatis; et usus Ecclesiæ id confirmat, nam revera ita servatur. Ratio vero est, quia per se,

et ex directa intentione instituentis, solus sacerdos est minister hujus sacramenti. Quod si laico interdum conceditur, solum est omnino ex accidenti propter necessitatem; ergo sine hac usurpare hoc ministerium, gravis inordinatio est. Unde non est eadem ratio de hac conditione ministri, et de aliis conditionibus accidentalibus ab Ecclesia institutis; hæc enim magis necessaria est, et ex ipsa institutione manat, et magis spectat ad reverentiam sacramenti; nam cum sit sacrum ministerium, per se requirit ministrum consecratum. Accedit, quod si hoc ministerium fiat a laico, facilius potest intervenire periculum alicujus erroris, vel iterationis baptismi.

8. *Quid si sacerdos det facultatem, vel nolit baptizare.* — Sed quæres, an saltem ex licentia sacerdotis possit laicus in ejus præsentia baptizare; videtur enim posse, quia tunc sacerdos cedit juri suo. Respondetur, si sacerdos omnino nolit baptismum dare, posse laicum illum præbere, quia jam est casus necessitatis; quid enim refert, quod adsit sacerdos, si non vult necessitati proximi subvenire? Ergo ita potest tunc laicus illum dare, ac si sacerdos non esset ibi; peccabit tamen tunc sacerdos ministerium suum negando contra reverentiam sacramenti, et contra debitum sui muneris, et officii. At vero, si sacerdos non omnino neget ministerium suum, sed tantum cedat juri suo, concedens alteri facultatem dandi, vel ex indiscreta quadam urbanitate, vel alia simili causa, tunc non potest laicus, imò nec quilibet alius non sacerdos, etiamsi diaconus sit, usurpare tale munus sine gravi causa, quæ necessitati æquivaleret; quia solus sacerdos est per se institutus minister sacramenti; et non potest ipse sua auctoritate hoc ministerium alteri dare, et invertere institutionem per se intentam a Christo, contra reverentiam sacramenti debitam, quæ in hoc negotio magis est pensanda, quam jus ipsius sacerdotis. Dicunt autem quidam, non peccare tunc mortaliter laicum baptizando, non solum si sacerdos det licentiam, sed etiam eo ipso quod non prohibeat; citarique solent pro hac sententia Soto, in 4, d. 4, art. 3; et Navar., in Sum., c. 22, n. 7. Sed neque hoc probabile est, quia, cum hoc peccatum non consistat in injuria sacerdotis, sed sacramenti, parum illud diminuit quod fiat contradicente, vel annuente sacerdote; neque dicti auctores id docent, sed potius contrarium; nam generaliter et sine

limitatione affirmant, hoc esse peccatum mortale, cum Richardo, Palud. et aliis, d. 5. Hæc autem omnia per se intelligenda sunt, seclusa ignorantia; nam hæc facile in hoc negotio intervenire potest, tam facti, quam juris; facti quidem, quia sæpe potest facile et sine culpa timeri periculum, ubi non est, et accelerari baptismus non expectato conveniente ministro, sine vera necessitate, bona tamen fide existimata, ex zelo charitatis; juris autem, quia licet hoc jus divinum sit, non est tamen tam clarum, quin facile possit a communi plebe invincibiliter ignorari.

9. *Non peccant graviter ministri inferiores sacerdote pervertendo hunc ordinem inter se.* — Unde tertio addendum est, inter omnes alios ministros inferiores sacerdote, etiam esse servandum ordinem, ita ut quilibet ordinatus præferatur laico, et inter ordinatos, qui est in superiori ordine constitutus; et inter laicos vir fœminæ. Ita docent omnes, quia hoc spectat ad quandam decentiam et reverentiam sacramenti. Non existimatur autem hæc res gravis, quæ ad peccatum mortale sufficiat, quia nullus horum est per se minister hujus sacramenti, neque absolutum habet jus illud dandi; et ideo absolute non fit illi injuria; neque etiam irreverentia sacramenti est gravis, quia neque illud ministratur solemniter, neque conditio ministri, quæ prætermittitur, est admodum necessaria. Dices: quamvis hoc respectu aliorum satis certum videatur, tamen respectu diaconi videtur dubium, quia aliquo modo ei competit hoc ministerium ex vi ordinationis suæ. Respondetur, quamvis hoc ita sit, nihilominus verisimilius videri, etiam respectu diaconi non esse peccatum mortale, illi præferre alium inferiorem et laicum, ut bene docuit Soto, d. 4, art. 2, quia diaconus in rigore loquendo non est minister ex officio, ut supra dictum est; quare cum nulla ratio sufficienter cogat, non est hujusmodi factum culpæ mortalis damnandum.

10. *Justus peccatori est præferendus in dando baptismo.* — Quarto similiter dicendum est, cæteris paribus, præferendum esse in hoc ministerio justum peccatori; patet, quia hoc spectat ad reverentiam sacramenti. Dico autem, cæteris paribus, quia simpliciter sacerdos est præferendus non sacerdoti, etiam si peccator existimetur, quia, ut sæpe dictum est, per se et ex officio est minister, et ideo non est privandus jure suo, neque immutandus ordo institutionis propter ea, quæ sunt

per accidens. Quapropter, etiam inter inferiores, videtur magis rationi consentaneum, ut servetur ordo consecrationis personæ, quanquam, si ille invertatur intuitu majoris sanctitatis, vel ut detur sacramentum ab homine justo, et non a peccatore, existimari certe potest sufficiens causa ad excusandum etiam a culpa veniali supra dicta. Advertendum est autem, hic sermonem esse de baptismo in necessitate collato, absque solemnitate; quo modo non est peccatum mortale illum in peccato mortali ministrare, ut supra dictum est, et ideo non videtur etiam peccatum mortale, præferre in hujusmodi ministro peccatorem justo, etiam cæteris paribus, quia, neque minister tunc inducitur ad mortaliter peccandum, neque etiam sacramento fit gravis irreverentia, cum ipsemet minister in ea re graviter non peccet; secus vero esset in baptismo solemniter, propter rationem contrariam; nam sic ministrare baptismum in peccato mortali, peccatum mortale est, et ideo præferre in eo ministerio peccatorem justo, si uterque haberet æquale jus, seu eandem facultatem, non careret culpa gravi, quia esset ad malum inducere, et ad gravem irreverentiam sacramenti. At vero, si non sit æqualitas, ut, v. gr., quia unus est sacerdos, alter diaconus, vel quia unus est sacerdos proprius, alius simplex tantum, tunc ab eo est petendus baptismus solemniter, ad quem ex officio spectat dare; nam quod ab illo petitur, justum est, et jure petitur, quandoquidem ille solus habet jus dandi; quod autem ille inique sit daturus, est per accidens ex mala voluntate ejus, quæ alteri non imputatur.

11. *Utrum liceat admittere infidelem ad dandum baptismum, prætermisso fidei, in necessitate.* — Sed objicies contra priorem partem: nam sequitur ex dictis, non esse grave peccatum in articulo necessitatis admittere ad baptizandum hominem infidelem prætermisso fidei, aut hæreticum prætermisso Catholico; consequens autem, et per se videtur absurdum, quia est valde indecens, ad sacramentum Ecclesiæ ministrandum, sine causa admittere infidelem hominem extra Ecclesiam existentem, et præterea videtur esse contra S. Thom. supra, quæst. 67, art. 5, ubi ait, esse grave peccatum sine necessitate accipere baptismum ab homine non baptizato; nec dici potest D. Thom. loqui, quando baptizandus in nulla est necessitate; nam tunc etiam a laico baptizato suscipere baptismum esset peccatum; aliud autem specialius docet D. Thom.

de non baptizato, scilicet quod ab illo baptismum accipere, quando recipi potest ab homine baptizato, gravis inordinatio sit. Respondetur, considerando præcise hanc comparisonem unius ad alterum, solum ob dignitatem personæ, non apparere etiam in hoc gravem inordinationem, quia in rigore neuter est minister ex officio, et alioqui sacramentum privatim ministratur; nihilominus tamen, moraliter rem considerando, vix potest fieri sine gravi culpa, vel propter scandalum et pravam suspicionem sui, quam merito daret, qui infidelem in sacro ministerio fidei præferret; vel propter sacrilegam communicationem cum homine hæretico et ab Ecclesia præciso; vel propter aliquod morale periculum erroris, aut deceptionis, aut pravæ intentionis; et juxta hæc posset exponi D. Thom., quamvis ibi revera loquatur in eo casu, in quo non est necessitas, etiam ex parte baptizandi; nec necesse est, ut aliquid singulare doceat de homine non baptizato; sed docet id, quod in illo est verum, quia de illo sermonem instituerat, quamvis illud ipsum verum possit etiam esse in aliis, servata proportione.

12. Ultimo dicendum est: quando ob necessitatem conceditur facultas baptizandi ei, qui non est minister ex officio, solum potest licite baptismum privatim et sine solemnitate dare. Unde graviter peccabit, si solemniter illum ministret. Dixi: Qui non sit minister ex officio, et non solum: Qui non est pastor, ut excluderem etiam simplicem sacerdotem; nam hic, si ob necessitatem baptizet propria auctoritate in absentia parochi, nihil peccabit ministrando solemniter, quia ex vi suæ ordinationis est satis idoneus ad hoc ministerium, et necessitas dat illi facultatem baptizandi. Cur ergo peccabit solemniter baptizando? De diacono autem non est idem, nisi speciali dispensatione hoc illi concessum sit, juxta supra dicta, quæst. 67. Unde constat de cæteris omnibus inferioribus, nunquam eis licere solemniter baptizare, etiam in necessitate, quia non sunt ad hoc idonei ministri.

13. Sed quæres, an laicus baptizans sine necessitate fiat irregularis, etiam si absque solemnitate baptizet; et ratio dubitandi esse potest, quia in cap. 4 de Clerico non ordinato ministrante, absolute imponitur poena irregularitatis ei, qui baptizaverit non ordinatus. Quod videtur intelligendum de quocumque non ordinato baptizante, quando ei non licet; atque ita videntur intelligere Palud. in 4, d.

5, quæst. 2; Sylvest., verb. Baptismus, 3, in princ.; Angel., verb. Baptismus, 5, n. 4; Gabr., in 4, d. 6, quæst. 4, art. 2, conclus. 2, qui tamen non expresse loquuntur de baptizante non solemniter, sed simpliciter de baptizante sine necessitate. Soto vero, d. 4, art. 3, in hanc sententiam ita expositam valde inclinatur, licet non omnino audeat definire. Nihilominus dicendum est, propter baptismum privatim ministratum illicite ab homine non ordinato non incurri irregularitatem. Itaque textus ille intelligendus est de baptismo solemniter. Ita sentit Glos., ibi, dum ait, intelligendum esse, si quis baptizaverit, ac si esset ordinatus, et ei liceret ex officio. Insinuat Navarr., c. 22, n. 7. Clarius, c. 27, n. 242, ubi tradit generalem doctrinam ex Anton., 3 p., tit. 28, c. 4, hanc irregularitatem non incurri, nisi exercendo actum ordinis eo modo, et cum ea solemnitate, cum qua a solis ordinatis licite exerceri potest. Quam expositionem amplectitur etiam Sylvest., verb. Irregularitas, quæst. 12 et 27, cum Palud., d. 5, quæst. 2, et idem tenet Ledesma in 4, 4 p., quæst. 8, art. 4. Et ratione confirmari potest, quia, ut ex titulo et intentione legislatoris constat, ibi imponitur irregularitas ei, qui exercet actum ordinis, cum non sit ordinatus; sed baptismus privatim datus in rigore non est actus ordinis, cum possit valide fieri ab homine non ordinato; unde, qui sic dat baptismum extra necessitatem, non proprie peccat exercendo actum ordinis, quem non habet, sed utendo, sine necessitate, facultate sibi data solum in casu necessitatis. Unde etiam sacerdos sic baptizans sine necessitate peccabit; ergo propter illum actum non incurritur irregularitas.

14. Atque hinc fit, sacerdotem simplicem, etiamsi solemniter baptizet, injuste usurpando munus alterius, non manere irregularem, ut bene docuit supra Sylvester, et omnes citati et citandi, quia non exercet actum, ad quem non sit ordinatus, quamvis indebito modo illum exercent; nam huic peccato nulla est in jure irregularitas annexa. Ultimo vero dico, quemlibet clericum non sacerdotem, ministrando solemniter, etiam in casu necessitatis, fieri irregularem. Ita sentiunt Soto, Navar. et alii locis supra citatis; et patet ex dict. c. 4 de Clerico non ordinato ministrante. Ubi generaliter poena irregularitatis imponitur ei, qui, cum non sit ordinatus, baptizat; quod intelligendum diximus de baptismo solemniter, qui non conceditur ex vi

ordinationis, nisi tantum sacerdoti. Unde poena hæc etiam ad diaconum sua auctoritate sic baptizantem extenditur, ut supra dictum est, quæst. 67, et tradit Clem., lib. 3 Constit., c. 11, et ita significant Palud., Soto, Navar. et Sylvest. locis supra citatis; nam absolute id docent de clerico non presbytero. Neque etiam excipiunt casum necessitatis, neque est cur excipiatur, quia nulla est necessitas, quæ cogat ad baptismum solemnem; nam sufficienter subvenitur cuicumque necessitati per baptismum, etiam sine solemnitate; non ergo excusatur a culpa, propter quam incurritur hæc irregularitatis poena, quia revera tunc exercet proprium actum ordinis, sine ordine.

15. Sed quæres, an idem dicendum sit de laico solemniter ministrante, quod maneat irregularis. Quidam enim negant, quia non invenitur in jure hæc irregularitas laicis imposita; nam caput supra citatum intelligendum est juxta titulum, sub quo continetur: titulus autem solum est de clerico non ordinato ministrante; ergo decisio illius canonis non comprehendit laicos, sed tantum clericos; atque ita tenet Angel., in Sum., verb. Irregularitas, § 38, citans Directorium, lib. 3, tit. 8, quem sequitur Armil., verb. Irregularitas, n. 65, et quidam alii Summistæ, qui falso citant D. Thom. et quosdam alios Scholasticos, qui contrarium expresse docent, ut jam dicam; videtur autem in hac sententia esse Covar., in Clem. Si furiosus, § 1, n. 4; ibi tamen non de hac irregularitate tractabat, sed de illa, quæ imposita est exercentibus actum ordinis, in quo suspensi sunt, quam sine dubio laici non incurunt; hæc vero, de qua disputamus, est diversa. De qua probabilius videtur, incurri etiam a laico solemniter baptizante, quia textus in d. c. 4, non dicit: *Si quis ordinatus baptizaverit, etc.*, sed absolute: *Si quis baptizaverit non ordinatus*; quæ verba generalia sunt, et omnem non ordinatum comprehendunt; non est ergo cur excludatur laicus, qui etiam est non ordinatus. Nec refert quod de rubrica tituli dicebatur. Primo, quia, ut Anton. August. et alii eruditi viri adnotarunt, in antiquis codicibus, in illo titulo non legitur, de Clerico non ordinato ministrante, sed, de Non ordinato ministrante, et nunc in Gregorianis codicibus adnotatur, ita legi in septem manuscriptis. Secundo, quia decretalis illa, sive Horsmidæ sit, sive Honorii, antiquior est, quam rubrica illius tituli; non est ergo per rubricam tituli restringenda, præ-